

Azzolina, figlia di Gualtiero

XXI 83

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Azzolina, figlia di Gualtiero

XXI 83

1123-01

In nomine Sancte et Individue Trinitatis.

Ego mulier nomine Azzolina quondam filia Gualterii de Palatio, clarefacio quoniam Dei omnipotentis misericordia inspirante coram Petracca civitatis iudice confessa sum me velle offerre monasterio Sancte Trinitatis de Cava unam meam domum cum totis suis pertinentiis que est infra predictam civitatem non longe a porta que est subtus ecclesiam Sancti Nicolai que vocatur de Platea. Predictus iudex dum talia audivit legaliter interrogavit me et cognoscens me non habere propinquos parentes atque prospiciens petitionem quam ego in loco sancto facere desiderabam pro redemptione anime mee et parentum meorum confestim dedit michi tutorem Oddonem Macaneum generum meum et licentiam dedit michi facere offertionem quam optabam. Postquam vero accepi licentiam a predicto iudice ego qui supra mulier una cum predocto Oddone tutore meo voluntarie per fustis traditionem offero prenominato monasterio ipsam prenominatam domum. Quam traditionem atque offertionem accepit dompnus Russemanus monachus atque prior ipsius monasterii cum Amico ipsius civitatis stratigoto suo advocato, quatinus dum viva fuero habeam et possideam ipsam domum et post obitum meum pars prenominati monasterii habeat eam et possideat cum inferioribus et superioribus cum solario et terrata cum casalinis iuxta eam quos michi pertinent et cum introitibus et exitibus eorum; domus enim ipsa est que est iuxta domum Guidonis Buccerii. Pro qua mea oblatione nichil ad partem prenominati monasterii ego vel heredes mei querimus nisi missas et orationes ad deum pro animabus nostris. Unde et voluntarie una cum predicto tutore guadium predicto (priori) domno Russemano

dedi, quam ipse una cum predicto stratigoto suo advocato accepit, et Americum Albergerium generum Giliberti alla panza mediatorem constitui, hac ratione, quatinus nunquam ego nec heredes mei prephatam offertionem pro quolibet in genio removeamus. Quod si remove temptaverimus aut si per legem et causationes eundem monasterium quolibet modo exinde miserimus, componamus parti prenominati monasterii quadraginta solidos romanatos et predictam oblationem stabilem permaneat. Et ego ipse mediator tribui licentiam parti prenominati monasterii sine compellatione pignerare me et meos heredes, videlicet in pigneribus licitis et illicitis donec prelecta compleantur. Hec omnia facta sunt in civitate Melfia ante presentiam predicti iudicis et testium subscriptorum.

Unde hoc brebe scrpsi ego Iohannes Zitus notarius qui interfui. Anno Iesu Christi domini nostri incarnationis millesimo centesimo et vicesimo tertio, mensis ianuarius, prima indictione, ducatus autem domni W(ilielmi) ducis anno duodecimo # Petracca qui super ducalis iudex # Signum proprie manus Arluyni sellarii # Signum proprie manus Giraldi de Burges sellarii